



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Gnesnensi Archiepiscopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

absolutione indigeat conquerens, vel de-
nuntiandus sit potius non ligatus. In reli-
quo verò casu, cùm videlicet excommunicatum quis se asseverat iustè, vix * un-
quam ejus est, antequam absolutus fuerit,
probatio admittenda; nisi tunc tantum
cùm afferit in excommunicationis senten-
tia intolerabilem errorem fuisse patenter
expressum. ad quod probandum admitti-
tur antequam absolutionis gratiam conse-
quatur. Verùm si proponat se simpliciter
excommunicatum iustè, ac Episcopus
ad probandum quòd iustè ipsum excom-
municaverit suas postuler probations ad-
mitti, non est ante absolutionem illius ali-
quatenus audiendus; cùm eti pro certo
constaret in illum rationabiliter excommu-
nicationis sententiam promulgatam, nihil
ominus ei esse absolutionis secundum * for-
mam Ecclesiae impendenda humiliter pos-
tulanti. Et ideo in hoc casu illum credimus
juxta formam Ecclesiae protinus absolvendam; ut sic demum probationibus utrius-
que partis admissis, utrum iustè an iustè
ligatus fuerit decernator. Datum Laterani
Kal. Septembbris, anno tertiodecimo.

GNESNENSI ARCHIEPISCOPO.

Coelestis agricola Iesu Christus se-
metipsum vitam veram & fertilem
in vinea sua electa plantavit; ex qua mul-
titudo palmitum prodiens, non solum il-
lam amoenam viroribus, verùm etiam fru-
ctibus redderet gratiosam. Ex ista nimi-
rum vite tot quotidie palmites pullulant
quòd in ecclesiastice unitatis radice fundati, ad sanctæ conversationis studium
extendentes se per opera pietatis, non solum internæ gratiæ virore turgescent,
sed etiam laudabili exercitatione fructifi-
cante in profectibus proximorum. In haec
siquidem labore vinea dilecti filii Chris-
tianus, Philippus, & quidam alij monachi
pro desiderio cupientes, illius dudum amo-
re succensi qui neminem vult perire, ad
partes Prussiae de nostra licentia in humili-
itate spiritus acceperunt, ut ibidem se-
men verbi dominici seminando, in umbra
infidelitatis & tenebris ignorantiae positos
ad semitam reducerent veritatis; quod
cùm in terram bonam & fertilem cecidis-
set, fructum protulit opportunum; & ejus
gratia præcente qui vocat ea qua non sunt
tamquam ea qua sunt, & ex lapidibus sus-
citat filios Abraham, quidam magnates &
alij regionis illius sacramentum baptismatis
recepérunt, & de die in diem proficere
dicountur in doctrina fidei orthodoxæ;

Tom. II.

sicut idem monachi nuper ad sedem apo-
stolicam venientes nostro apostolatui rese-
rarunt. Cùm igitur hujusmodi novella plan-
tatio beneficio irrigationis indigeat, frater-
nitati tuae præsentum auctoritate manda-
damus quatinus eisdem monachis & fra-
tribus suis necnon & aliis ad fidem de novo
conversis in ecclesiasticis sacramentis &
aliis quæ ad ampliandum Christianæ reli-
gionis cultum spectare noscuntur tamdui
curam officij pastoralis impendas donec,
divina faciente clementia, adeo ibidem
numerus fidelium augeatur ut proprium
possint * Episcopum obtainere. Episcopos
etiam & alios Ecclesiarum Praelatos ac ter-
ræ magnates moncas sollicitius & inducas
ut pro Deo & propter Deum eis proprie-
ac favorabiles existentes, ubi dignum fue-
rit gratiam, solatium, & humanitatem im-
pendant. Datum Laterani 11. Nonas Sep-
tembris, anno tertiodecimo.

* Eis postea
idem Christia-
nas darus ell
Episcopos. Vi-
de Eborium ad
ann. 1220. §. 5.

JOHANNI EPISCOPO
Albanensi.

His quæ judicio sunt vel concordia
terminata decet nos robur apostoli-
cum impertiri, ne sopia querimoniae revi-
scant, & relabunt iterum in recidiva
scrupulem quæstionis. Cùm igitur dilec-
tus filius Benedictus tituli sanctæ Sulannæ
Presbyter Cardinalis causam que inter te
ex parte una & monasterium Cripta fer-
rata ex altera vertebar super institutio-
ne ac destitutione Presbyteri Ecclesiae sancti
Nicolai de Neptuno sententia calculo
duxerit terminandam, nos tuis iustis pre-
cibus inclinati, eadem sententiam, exigen-
te justitia promulgatam, auctoritate
apostolica confirmamus & præsentis scrip-
ti patrocinio communimus; cuius tenorem
de verbo ad verbum præsentibus fecimus
adnotari. IN NOMINE patris & filij & spi-
ritus sancti. Amen. Cùm causam qua super
Ecclesia sancti Nicolai de Neptuno inter
Dominum Iohannem Albanensem Episco-
pum ex una parte & Abbatem de Cripta
ferrata ex altera vertebar nobis Benedi-
cto tituli sanctæ Sulannæ Presbytero Car-
dinali Dominus Papa mandaverit audi-
dam, procurator Episcopi pro parte sua
contra Abbatem coram nobis proposuit
quòd Abbas & monachi de Cripta ferra-
ta privaverant administrationem Presbyte-
rum Ecclesiae prænominate, quem ad re-
præsentationem Abbatis & monachorum
jamdictus Episcopus investiverat & insti-
tuerat pro persona in jamdicta Ecclesia,
& idem Presbyter eidem, ut suo Episcopo,

Epist. 119.
Confirmat
quidam Epis-
copum.

O o o